

17.

REGII
IN
ACADEMIA AD ALBIM
M V S E I
ANATOMICI
AVGVSTEI
CATALOGVS VNIVERSALIS

PRAEPARATA ANATOMICA RVYSCHIANA
VARIORVMQUE CELEBERRIMORVM AVCTORVM
TAM SICCA, QVAM IN LIQVORE CONTENTA
FOETVS, MONSTRA, SCELETA ET ARTEFACTA
EXHIBENS

C V M
ORATIONE
D E

M V S E I S

QVA
D. I. MAI. A. C. MDCC XXXVI.

CONCLAVE NOVVM

AD CONDENDVM THESAVRVM REGIVM

SVB CONSVLATV SVO EXSTRVCTVM

RECTOR VALEDICENS

INAVGVRAVIT

A B R A H A M V S V A T E R

PHIL. ET MED. D. ANAT. ET BOTAN. P. P. O. SOCIET. NAT. CVR.
ET LONDIN. AC BEROL. SODALIS MVSEI REGII PRAEFECTVS

C V M TABVLA AENEA

WITTENBERGAE
PROSTAT IN OFFICINA HENNINGIANA.

LITTERIS SCHEFFLERIANIS.

Digitized by Google



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.


Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.

INSCRIPTIO
Supra Aditum ad Museum

MVSEVM ANATOMICVM
MVNIFICENTIA
DIVI FRIDERICI AVGVSTI
REG. POLON. ET PR. ELECT. SAXON.
DRESENAE INSTITVTVM
GRATIA CLEMENTIAQVE SINGVLARI
FRIDERICI AVGVSTI FILI
REG. POLON. ET PR. ELECT. SAXON.
ACADEMIAE VITTEMBERG. DONATVM
HIC REPOSITVM
RECT. ACAD. D. ABRAH. VATERO
ANAT. ET BOTAN. P. P.
A. clo Isc XXXVI.

REGIIMUSE ANATOMICI
PROSPECTVS



M. Siebenhaar. delineavit.

J. Schumann. excudit.



Praeparata Ruyfchiana

In Liquore.

- I. **P**ia mater foetus humani, *repletio facta est per arteriam.*
- II. Foetus humanus, quinque circiter mensum a conceptione.
- III. Brachium foetus humani rubicundissimum, in cuius manu segmentum piae matris, *repletio facta per arteriam.*
- IV. Testiculus humanus, optime evolutus.
- V. Cerebellum foetus humani, *repletio facta per arteriam, ut illarum reptatus in sensu incurvant.*
- VI. Pia mater huinana.

A

VII.

- VII. Phiala liquore repleta, & in ea pia mater,
cujus arteriae sunt repleteae, ex muliere.
- VIII. Phiala ut supra, in qua ren pueri, cui
adhuc insidet ren succenturiatus, suntque
rubicundo colore praediti, propter reple-
tionem per arteriam factam.
- IX. Phiala in liquore continens frustulum
foetus cerebri flaccidi vaccae, in cuius
utero haeserat mortuus per semiannum,
absque putrefactione, non sine flaccidita-
te, et hoc etiam locum habere in mulieri-
bus observo, modo uterus maneat clau-
sus. Notandum interim, me hocce ob-
iectum per arteriam repleuisse, neque mi-
hi obstetisse, quod tam diu foetus hae-
serit in utero mortuus.
- X. Phiala in liquore continens duos renes suc-
centuriatos, quorum arteriae sunt repleteae.
- XI. Phiala in liquore continens foetum hu-
manum, quatuor circiter mensium a con-
ceptione, hic capite declivi & corpore
inuerso decumbit inter omentum huma-
num nitidissimum.
- XII.

- XII. Phiala liquore plena, continens frustum membranae interioris vesicae urinariae, idque ex puerpera, cui propter urinac retentionem, haec membrana separata, postea excreta est.
- XIII. Phiala &c. in qua Embryo humanus.
- XIV. Phiala &c. Pes infantis uitae speciem repraesentans.
- XV. Phiala &c. Foetus quinque mensium albissimi coloris.
- XVI. Phiala &c. lingua pueri cuius uasa sanguinea repleta.
- XVII. Phiala &c. uterus muliebris apertus, *in quo eius structura interna admiranda & particula uaginae rugosae in conspicuum prodit.*
- XVIII. Phiala &c. integra placenta uterina, cuius superficies, qua utero adhaesit, adhuc uelamento obducta est.
- XIX. Phiala &c. pueri digitus extirpatus, *in quo spina uentosa.*

- XX.** Phiala &c. Cuticula digitorum pedis infantis.
- XXI.** Phiala &c. Portio piae matris, cuius uasa sanguinea repleta.
- XXII.** Phiala &c. Brachium infantis, cuius uasa sanguinea repleta.
- XXIII.** Phiala &c. Portio intestini ieiuni cuius uasa sanguinea repleta, & papillae nerveae in conspectum ueniunt.
- XXIV.** Phiala &c. Vermis latus, Belgice, een *Lindeworm*.
- XXV.** Phiala &c. Brachium infantis, cuius uasa sanguinea repleta.
- XXVI.** Phiala &c. Pla mater humana, cuius uasa sanguinea repleta.
- XXVII.** Phiala &c. Cisa femoris, tibiae & pedis extremi, quorum musculi repletu separati sunt.

Prae-

Praeparata Ruyfchiana

Sicca.

- I. Pedamentum, supra illud glandula parotis e uitulo recens nato. *Repletio facta est per arteriam; Sed quanta discrepantia inter constitutionem barum arteriolarum, & illarum quae reperiuntur in glandulis mesenterii, quemadmodum representantur in opusculo de glandulis, mirum uisu.*
- II. Pedamentum &c. Segmentum extremi penis uirilis, in eo uideri potest, glandem constare ex omnibus, i. e. tribus corporibus neruo-spongiosis.
- III. Phiala sicca, & in ea intestinula foetus humani, horum arteriae optime sunt replete, & quod considerandum, intestinula rotunditatem conseruarunt sine foraeis.

A 3

IV.

-
- IV. Pedamentum &c. Segmentum renis humani, cuius repletio facta per truncum uenae cauae.
- V. Pedamentum instructum patella humana, supra quam innumerae arteriae replete sunt, quae haud pertinent ad patellam, sed ad remenantiam tendinis musculorum tibiam extendentium.
- VI. Pedamentum &c. Semi ren iuuenis, cuius arteria repleta, optimae notae.
- VII. Pedamentum &c. Cor infantis cum portione diaphragmatis.
- VIII. Pedamentum &c. Portio intestini ieiuni.
- IX. Caput osseum infantis recens nati.
- X. Pedamentum &c. Intestina infantis parvuli.
- XI. Pedamentum &c. quatuor costae iuuenis, cum musculis, quorum uasa sanguinea repleta.
- XII. Pedamentum &c. Portio hepatis humani,

mani, cuius repletio facta per uenam portae.

XIII. Pedamentum &c. Inferior portio nasi & genarum, cum labio superiore, ex iuuenie.

XIV. Pedamentum &c. Frustum intestini coli humani.

XV. Pedamentum &c. Superior cutis capitis.

XVI. Pedamentum &c. Cutis humanae portio, in cuius interiore latere papillæ nervosæ se ostendunt.

XVII. Pedamentum &c. Cor infantis cum lobo dextro pulmonis.

XVIII. Pedamentum &c. Portio placentæ uterinae humanae induratae.

XIX. Phiala sicca &c. cor foetus humani repletum.

XX. Segmentum cranii foetus cuti rubicundissima obductum.

XXI. Lingua humana optime repleta cum aspera arteria.

XXII.

- XXII. Tumba ex ligno Indico confecta, & in ea Sceleton infantis nitidissimum, cum ligamentis praeparatum.
- XXIII-XXIV. Cranium hominis, cuius integumenti & pericranii & durae matris arteriae optime repletae sunt.
- XXV. Corpus nerueo-spongiosum maius penis virilis.
- XXVI. Portio penis cum tunica cellulosa, ut utriusque uarietas appareat. *Punctum nigrum in dorso indicat tenuitatem summam cutis in membro virili.*
- XXVII. Segmentum intestini jejunum cum annexo mesenterio, in quo glandulae interficiae, ex foetu humano.
- XXVIII. Segmentum tunicae cellulosa scrotri humani.
- XXIX. Pileolus ex cute infantis capitis confectus.

XXX.

XXX. Epidermis plantae pedis cum vaginulis papillarum.

XXXI. Frustum mesenterii & intestini hominis obesi, in quo uix aliquid glandulosi apparet.

XXXII. Amplustrum confectum ex cute humana, in qua conspicuntur papillae cutaneae.

Nota ad N. XV. in liquore, in scheda, vitro agglutinata, a B. Ruyshio addita.

Foetus in liquore ita positus, ut sinistra magnam placentae uterinae, nitidissime repletae, arripere videatur portionem, & hoc non otiosus videatur: Tales enim, qui otiantur, degere apud Ruyshium, haud licitum.



B

Con-

Conseruata & Praeparata Anatomica

Variorum Auctorum

In Liquore.

1. Monstrum humanum biceps, 4. brachiorum & totidem pedum.
2. Embryo masculinus.
3. Embryo foeminitus.
4. Embryo foeminitus alius.
5. Embryo praecedente minor.
6. Embryo alius praecedente minor.
7. Embryo alius praecedente minor.
8. Embryo alius praecedente minor.
9. Genitalia uiri.
10. Genitalia foeminae.
11. Testiculus humanus euolutus.
12. Portio hepatis infantis.
13. Embryo masculinus.

14. Por-

14. Portiuncula placenta humanae, cuius arteriae replete.
15. Pes hominis adulti, cuius arteriae materia ceracea replete.
16. Eiusmodi pes infantis.
17. Oculus humanus cera rubra repletus.
18. Puella monstrofa, de qua dicitur a Riuino 1728. conscriptra.
19. Scirrus uteri foeminini octo librarum.
20. Ovulum in utero foeminae repertum.
21. Pollex cum portione integumentorum cranii, quae in conflictu perdidit Varsiae D. Kirchheimius, copiarum Regium Medicus.
- 22-27. Sex embryones humani diuersae aetatis.
28. Hydatites per genitalia excretae. *Secondinarum portiones in utero relictas, mutari in hydatides, testis est Ruyshius.*
29. Foetus humanus aliquot mensium.
31. Tres portiones polypi narium, ex nare si-

nistra Colonelli Polonici extirpati, per
Chirurgum Regium Dn. Trophé de St.
Marie: Sign. Troph.

32. Genitalia Iohannae Teichmannin 75. annorum hermaphroditae.
33. Embryo foeminius duorum mensium cum ouulo impregnato pisi magnitudine, in quo foetus uix appetet.
34. Puella septem annor. Dresdae Ao. 1731. morbo atroci uita functa. Historiam cum icono uid. in *Act. Pbyf. Medic. Acad. Nat. Curios. Volum. III. obs. CXXVI.*
35. Testiculus tophaceus ex scroto Peruquiarii Lipsiensis.
36. Auriculae humanae duae.
37. Monstrosus Porcellus, proboscide uersus superiora reflexa natus, unde formam elephantis quodammodo refert.
38. Glans penis rubicundissima, a corpore neruoso spongioso cera rubra replete.
39. Teredines seu Xylophagi Marini tres ex Frisia.

40. Phia-

40. Phiala sicca, in qua frustum ligni, a tere-dinibus exesi & perforati, fauos apum exhibens.
41. Phiala sicca, in qua cuticulae monstrosae & praeternaturalis duae particulae, quarum altera ab apice digiti decidua, digiti articulum repraesentat, altera a uola manus, e puella Gerensi.

Nota: Operae pretium uidetur historiam huius puellae, quam a Doctissimo Dn. Licenciato Harnischio, Medico Gerensi accepi, atque d. 1. August. 1735. ad Societatem Regiam Londonensem misse, illustrationis gratia hic addere. Puella VIII. annorum, ante aliquot annos tumor artuum & totius corporis laborauerat, ad quem curandum, cum uaria a parentibus remedia, praecipue domestica aut empirica adhiberentur, factum est, ut tumor durus insignis in dorso inter scapulas generaretur, quem gibberis initium iudicantes, itidem topicis discutere studuerunt, uotique etiam sui compotes facti sunt. At quid sit? Ab isto

tempore sensim in manibus pedibusque, imprimis in horum plantis ac istarum uolis, generari coepit crusta sicca atque dura, quae in apicibus digitorum longe prominet, ac apprehensionem gressumque impedit, adeo, ut puella nec stare, nec incedere potuerit, sed portari ac curru uehi opus habuerit. Crusta haec per interualla decidit, p[re]eprimit post inunctiones uarias a parentibus applicatas, sed puella inde male habuit, tumida evasit, anxietates ac tormenta intus sensit, quae non, nisi crusta ista regenerata, cessarunt; hoc autem facto, nihil amplius incommodi percepit, praeterquam quod usu manuum pedumque destitueretur. Ab anni spatio denuo hoc malo afflita, chirurgi curne tradita fuit, qui illam laxantibus mercurialibus atque decoctis sanguinem purificantibus tractauit, quibus etiam malum cessit, ac mundities cutis restituta est, adeo, ut puella nunc integra sanitatem frui videatur: Quae an constans sit futura, tempus docebit. Accepi a laudato Medico portionem huius crustae, cum frustulo eiusdem ab apice digiti deciduo, tanta[re] longitudinis: & crassitie, ut extremum digiti articulum

ticulum referat, eo magis, quia in uno latere particulam unguis monstrat. Microscopio inspecta haec crusta, manifesto apparet, eam ex squamulis conflatam esse, quod eo certius est testimonium, illam nihil aliud, quam ipsam cuticulam, a nutrimento uiscido & partareo expansam, & induratam esse. Ex eiusdem supra laudati uiri relatione habeo, in urbe ibidem uicina, pariter reperiri uirginem, quae a longo inde tempore, bis in anno, tallem deponit crustam a manibus pedibusque, nec non a cubito deciduam, quae nullum, a quibuscunque medicamentis hactenus usurpati, leuamen percepit. Laborat autem ista obstrukione mensium, quae mali huius fons atque origo esse uidetur.



Prae-

Praeparata Anatomica

Sicca.

1. **M**yologia in corpore puellae duodecennis egregie praeparata.
2. Myologia in corpore viri adulti.
3. Brachium hominis adulti, in quo musculi praeparati.
4. Pes eodem modo praeparatus.
5. Brachium infantis, in quo musculi praeparati.
6. Pes infantis, in quo musculi praeparati.
7. Partes genitales uiri.
8. Partes genitales foeminae.
9. Penis cum musculis & uasis sanguiferis, cui etiam ossa pubis iuncta.
10. Maxilla inferior hominis cum lingua & eius musculis.

ii. Cor

11. Cor humanum, cuius arteriae & uenae materia ceracea repletae.
12. Aspera arteria cum osse hyoide & muscu-lis.
13. Lien humanus cellulosus.
14. Portio intestini iejuni humani.
15. Alia eiusmodi portio.
16. Genitalia puellae sex annorum, cum hy-mene elegantissime praeparato.
17. Cor humanum praeparatum.
18. Cerebrum humanum induratum.
19. Scrotum cum inuolucro penis praepa-ratum.
20. Membrum ~~uicile~~ inflatum & exsicca-tum.
21. Portio membra uirilis.
22. Officula auditus ex homine, gallo indi-co, &c.
23. Chirothecae ex mammis foeminae praeparatae.
24. Intestinum colon cum valuula Bauhini.

C

25. Por-

25. Portiuncula placentae humanae siccata,
cuius arteriae repletae.
26. Lingua humana, cuius arteriae in altero
latere repletae, una cum glandulis.
27. Portio hepatis infantis, cuius uena caua
uiridi, uena portae rubra cera repletae,
in qua extremitates uasorum pulposae,
seu acini glandulosi repleti apparent.
28. Portio pulmonis eiusdem infantis, post
iniectionem flatu distenta & exsiccata, in
qua vesiculae & cellulae pulmonales,
cum arteriolis magis diductis, conspici
possunt.
29. Portiuncula pulmonis infantis, cuius ar
teriolas ultimae ceracea materia reple
tae, post iniectionem flatu non distenta.
30. Cor infantis nitide praeparatum.
31. Portiuncula intestini hominis maioris.
32. Portiuncula intestini ex infante.
33. Scrotum cum pene, insignis magnitudi
nis ex morbo. uid. Acta Lips. An. 1735.
Mens. Nouemb. p. 493.

34. Ex-

34. Extrema manus cum ligamentis & portiuncula ulnae & radii, cum ligamento annulari carpi, & cum musculi perforantis, seu profundi quinque tendinibus.
 35. Pars ossis humeri sinistri, cum scapula & clavicula.
 36. Os innominatum sinistrum, cum portiuncula ossis femoris.
 37. Os femoris cum rotula genu, seu patella, & portione ossis tibiae & fibulae, & portiuncula tendinis musculi recti femoris.
 38. Pes cum calcaneo & tarso, & tendine Achillis, cum tibiae & fibulae parte.
 39. Pars ossis humeri cum portiuncula ulnae & radii.
 40. Portio intestini ilei ex homine.
 41. Polypus siccatus, ex sinistro cordis ventriculo, Dn. Comitiss. a Dauin exsectus, post mortem a Dno D. Floericke.
 42. Ex uiro 33. annos nato, & Norimbergae
- C a decol-

decollato larynx, non solum ordinaria magnitudine maiores habens cartilagineas, sed etiam maximam sui partem in osseam substantiam mutatus, cum osse hyoide adhaerente.

43. Ex eodem uiro Cricoides exsiccata, a carnificis gladio aliquantum laesa.
44. Pes sphacelatus, cum dimidio Tibiae, militis 72 annorum, quem ipse sibi forifice amputauit.
45. Pueri & puellae corpora, in quibus viscera & uasa conspicuntur, artefactum Parisiense, a Dn. Weisio iuniore Chirurgo apportatum.

Nota: Elegantissima atque' pretiosissima haec artefacta corpora, singulare artificio & industria adeo concinne & affabre composita sunt, ut corpora naturalia ubiuis imitantur, tantaque humani corporis anatomia, quoad osteologiam, myologiam, angiologiam, neurologiam atque splanchnologiam, uno quasi intuitu, demonstrari in iis queat.

-
46. Coria humana tria.
47. Penis humanus, cuius corpus nervo-spongiosum, glandem constituens, ceracea materia repletum, corpora uero nervo-spongiosa maiora inflata.
48. Ureteres pueri septennis flatu distenti, in quibus ualuulae conspicienda.
49. Variae particulae intestini humani, quarum arteriae materia ceracea repletae, & tunica cellulosa inflata.
50. Cutis labii humani materia ceracea repleta.
51. Pes humanus in aeri-fodinis Freybergen-sibus repentes.
52. Ventriculus hominis adulti inuersus; rubicundissimus ob repletionem uasorum, injectione cerae rubrae per uenam portae facta.
53. Portio intestini ieuni inlati, eadem ratione praeparata, in qua ualuulae coniuentes expansae, pariter rubicundissimae.

54. Eiusdem intestini portio inuersa, ac flatu distenta, in cuius superficie interna extra uersa, ualvulae dictae rugas exhibent.
55. Pedamentum, in quo portio mesenterii humani, materia ceracea per uenam portae repleti, in quo glandulae mesenterii, ob repletionem uasorum, rubentes apparent.
56. Uterus foeminius, cum ouariis & tubis Fallopianis expansis, itemque pudendo ac uagina extensa & aperta, in qua orificium uteri internum patet. In uesica annexa & aperta, stili duo in orificeis ureterum haerent. Omnia grata rubent ob repletionem arteriolarum, quae etiam in pudendo externo, glande Clitoridis & Nymphis, ope microscopii uideri possunt; in utero aperto, reptatus serpentinus earum oculis patet.

57. Pla-

57. Placenta embryonis uitulini, coccinei coloris, ob repletionem, per arteriam umbilicalem factam.
58. Caput Galli Indici, rubicundissimi coloris, ob repletionem vasorum, quorum reptatus mirabilis, in palato & lingua, per microscopium appetet: exterior capitum & colli superficies, quae in uiuentibus tumida redditur, magnam habet analogiam, cum substantia nerueo-spongiosa membra virilis.

Nota: Numeroso. praetermisso, in liquore continetur in phiala foetus monströsus dñorum mensium.



Scele-

Sceleta.

1. Sceleton masculinum hastam manu tenens.
2. Sceleton masculinum aliud.
3. Sceleton masculinum.
4. Sceleton foemininum.
5. Sceleton masculinum.
6. Sceleton foemininum.
7. Sceleton nani, spatulam manu tenens.
8. Cranium integrum humanum.
9. Cranium Turcae, in quo duo uulnera insignia conspicua.
10. Os tibiae cuiusdam Turcae, ocreae inhaerens.
11. Cranium laqueo suspensi.
12. Sceleton infantis.
13. Sceleton foetus paucorum mensium.
14. Sceleton laqueo suspensi, staturaे prioris.
15. Eiusmodi aliud.



ORA-

ORATIO
DE
M V S E I S

PATRES CONSCRIPTI
AUDITORES
OMNIVM ORDINVM SPECTATISSIMI

Museum, quasi dices locum Musis
dicatum, antiquis temporibus
idem fuisse, quod hodie Auditorium,
atque designasse aedificium, ubi de-
gebant aut conueniebant homines circa di-
scipli-

sciplinas uersantes, accepimus. Scribit enim Plutarchus, ueteres Musea procul ab urbibus collocasse, ne qua re assiduitas & studia interpellarentur. Hodie etiamnum haec uox, recepta loquendi formula, indicat habitaculum quocunque priuatum hominum, literis operam nauantium. Solent autem, uti par est, Musea eruditorum exornari repositoris atque scriniis, libris, instrumentis, ac reliquae suppellectili, ad eruditionem pertinenti, condendae & asseruandae destinatis. Factum inde haud dubie est, ut non tantum conclaue uel camera, sed in sensu specialiori, quocunque scrinium, siue cista, siue arca, aut repositorium, aut conditorium, res selectiores, siue rariores, singulares & curiosas, pro cuiusque scopo collectas complectens, Museum uocetur. Quandoquidem uero non ea tantum, quae ad literarum studia & eruditionem spectant, sed etiam alia pretiosa, ornatui & oblectationi Principum atque

atque Magnatum inferuentia, uti sunt gemmae, diademata, argentum caelatum, tabulae pictae, arma, & quis omnia enarrare potest? in eiusmodi locis asseruantur, inde uaria istis imposita sunt nomina. Propterea tale conclave, aut aedificium, pro rerum contentarum diuersitate, Thesaurus, Thesaurophylacium, Gazophylacium, Cimeliarium aut Cimelium, Pinacotheca, Armarium, Armamentarium, Taumatotheca, Tameotheca, Technophysiotameum audit. Tot enim & tam uaria sunt, quae hodie in Museis curiosorum monstrari solent, ut nec ea numerare, nec varietatem eorum uerbis exprimere liceat. Non uidetur dies sufficienza, ut omnia huc facientia enarrem, tempusque me deficeret citius, quam oratio ac differendi materia, si praecipua saltem attingere ac digito indicare uellem. Duo tamen sunt summa genera, quae omnia in uastissimo suo ambitu complectuntur, quia alias sunt

D 2

Natu-

Naturae Opera, alia Artis effecta. Naturam quidem uniuersam in angusto Musei spatio includere non licet, est tamen ipse Naturae liber, Magnum illud Museum, quo, intuendo ineffabilem creaturarum numerum, ad cognitionem omnipotentiae atque sapientiae summi Opificis atque mundi huius Ædificatoris ducimur atque trahimur. *Ista, quam incolimus, mundi machina,* inquit, *Mollerus in dissert. de Technophysiota meis, Technophysiota meum est augustissimum, pretiosissimum, uariegatissimum, aspectuqne bellissimum ac incundissimum; in eo enim praeter solis, lunae, staderumque ordinatissimos meatus, rerum quarumlibet creatarum classes sapientissime digestas, egregium Cimeliarchei Diuini exemplar exhibere, nemo non lubens afferuerit.* Museum etiam tantae amplitudinis fingi non potest, ut omnia, quae ars produxit, capere queat. Sunt uero Musea tanquam specula, in quibus opera naturae & artis in compendio contem-

templari possumus. Naturae operum nomine ea saltem sunt intelligenda, quae sub coelo, in uastissimo globo terraquo, aut in triplici, uti uocatur, regno, Minerali, Vegetabili & Animali occurunt. Quae enim in coelo sunt immensa syderum corpora, e longinquo tantum admirari, est permissum. A MINERALI REGNO ut exordiamur, generantur in terrae gremio & ex ea effodiuntur, tam diuersissima concreta, quae generali Fossilium nomine ueniunt, ut ea oratione complecti non liceat. Omnia in certas classes atque ordines redigere allaborauit D. Job. Woodwardus, Medicus Londinens. ac in Colleg. Greshamensi olim Phys. Prof. itemque Societ. Reg. ac Colleg. Med. Sodalis, in tractatu posthumo anno 1728. impresso, cui titulus est: *Fossils of all Kinds, digested into a Method suitable to their mutual relation and affinity*, cui adiecta est tabula generalis, in qua, uno intuitu, conspiciuntur omnis generis fossilia, iuxta natu-

rae methodum in classes ordinata. Memorat idem in praefatione, se in Museo suo, praeter extranea, quorum non minor numerus, ultra duo millia & octingenta fossilia, tantum Anglicana, omnia diuersa possidere. Quantus, quaeso, futurus esset numerus, si omnes atque singulae eorum species, quae in uniuerso terrarum orbe propullulant, computari possent? Prodeant tot terrae, boli atque glebae diuersissimae, & ex his formatae terrae sigillatae, coloribus & sigillis impressis distinctae, quas inter rariores sunt, Hierosolymitanae, Samiae, Melitenses, Lemniae, nec non Margae, Cretae diuersi coloris, quarum terrarum centum & quadraginta duae species differentes, quas in Museo suo possedit *Kundmannus*, recensentur in eius *promptuario rerum naturalium & artificialium Artic.* X. p. 296. seqq. Considerentur modo tot lapides pretiosi, diaphani, gemmae dicti, rudes ac in suis mineris hae-

haerentes, aut scalpti atque politi, in quibus, imprimis in Achate, uariae figurae plantarum & arbuscularum, a natura expressae, interdum sunt conspicuae. Horum lapidum, a laudato uiro collectorum, catalogum insignem loco citato uidere licet. Longe maior est numerus lapidum opacorum, atque minus pretiosorum, ut sunt Marmora, Stalactitae, Speculares, Calcarii, Tophacei, interque hos certa figura, a natura impressa, gaudentes, propterea Aetites, Asteriae, Astroites, Belemnites, Cerauniae, Osteocollae, Tubulariae, Iudaici, Variolacei dicti, nec non petrefacta innumera, Lithoxyla, Dendritae, Ichthyitae, Conchitae, Ostracitae, Cornua Ammonis, Glossopetrae, quibus a plantis, pisibus, conchis aliquique marinis, in diluvio uniuersali, aut particularibus inundationibus, inter glebas sepultis, nomina sunt imposita. Quid dicam de Mineris Metalliferis, Metallis ipsis, Mineralibus

ORATIO

bus, seu Metallis Mediis, aut affinibus, spuriis dictis, itemque recrementis siue scoriis, nec non de Salibus, Sulphuribus, Bituminibus, Succino, cuius tum ratione puritatis & maturitatis, tum ratione inclusorum, ingens datur uarietas, ut & de Gagate, Lithantrace, Asphaltō, aliisque ad Minerale Regnum pertinentibus. Haec omnia expeditat terra, restant ea, quae exhibet mare, e quo extrahitur immensa Lithodendrum multitudo, Corallia uarii coloris & Coralliis affinia, Escharae, Algae, Madreporea, Tubulariae, & quae mollioris sunt fabricae, Keratophyta, Fuci, Spongiae, Musci, atque Alcyonia. En summa tantum capita eorum, quae regnum Minerale, seu Globus Terraqueus praebet, pro exornandis Museis, in quibus colligendis apteque disponendis, quis habet, in quo ingenium exerceat, ac tempus sumptusque consumat. Non minus fertilis est Terra, in producendis

dis iis, quae ad VEGETABILE REGNUM
pertinent. E terra quippe progerminant
tot plantae terrestres & aquatice, perfectae
& imperfectae, Musci, Fungi, Tubera, Gra-
mina, Herbae, Frutices, Subfructices atque
Arbores, cum suis Floribus, Seminibus &
Fructibus, colore, odore, atque sapore & vir-
tutibus mirum uariantibus, item Lacrymis,
Gummatibus, Resinis atque Balsamis ex iis
dem stillantibus. Horum omnium non mi-
nor ac in Regno Minerali, copia est atque ua-
rietas. Reperiunt hic Botanophili, ut in con-
ficiendis Herbariis uiuis, in colligendis L
ignis, Corticibus, Seminibus atque Fructibus,
ad exornandum Museum facientibus, ani-
mum curiosum & discendi cupidum oble-
ctare possint. Succedit REGNUM ANIMA-
LE, cuncta uiuentia complectens, in quibus
enarrandis, unde exordiar, ignoro. Siue
enim considerem, Insectorum, Apodorum &
Pedatorum, Alatorum uel Non-Alatorum,

E

Musca-

Muscarum, Papilionum, Scarabaeorum, Eru-
carum, numerum stupendum; siue perpen-
dam, Testaceorum, quae insectis annumerari
solent, ineffabilem copiam, quae uel Vniual-
via, Turbinata & Non-Turbinata sunt, uel Bi-
uallia, atque horum ordines specialiores
Nautilos, Vmbilicos, Cochleas, Turbines,
Strombos, Cylindros, Buccinas, Murices,
Porcellanas, Neritas, Vngues odoratos, Con-
chas, Ostreas, Mytulos, Pinnas, Balanos, So-
lenes, ac Crustacea, Astacos & Cancros com-
pleteuntur; siue Piscium marinorum & fluui-
atilium, siue Avium, siue Quadrupedum in-
finitam seriem & multitudinem, cum omni-
bus horum partibus, & quae in corpore ani-
mali generantur, Calculis atque Concretis,
itemque Monstris, in regno animali frequen-
tissimis, pensitem, obruitur animus, deficit
ingenii acumen, ac cogitandi uis perit. Huc-
usque de Natura productis, sequitur alter
fons uniuersalis, ad construenda Musea con-
ducens

ducens, pariter inexhaustus, quem constituit Ars. Praebet haec innumerabilia Artefacta, ut sunt: Monumenta, Inscriptiones, Statuae atque Marmora, Sigilla, Vrnae, Ampullae Sepulchrales, Arma & Vestimenta, aliaque ad suppellectilem diuersarum Nationum pertinentia, uasa e uaria materia fabricata, Imagines pietae, aut aere inciso impressae, uel ex lapide, gypso, metallo, aut cera formatae, Gemmae sculptae atque Metalla caelata, aliaque ad Historiae & Antiquitatis studia facientia, nec non Instrumenta uaria Mechanica, Geometrica, Optica, Astronomica, Chirurgica, Chimica, Machinae atque Automata, Horologia, & id generis innumera. Haec & talia propemodum sunt, qualia in Museis locum inueniunt, quae tamen omnia in uno Museo qui quaerere uellet, spe sua ut excideret, necesse est. Nullum enim unquam exstitit, aut impostorum existabit, tantae uastitatis.

Museum quod cuncta capere queat. Quoad Regnum Animalium, perfectius ne quidem ingeniose excogitari aut fingi potest, ac fuit arca Noae. *Huic*, inquit, *Mollerus l.c.* cur *Tecchnopbytamei appellatio adimenda sit*, perspicere nequeo: In ea certe praeter admirabilem arcae ipsius fabricam, iucundissimum fuisse debuit, cernere omnis generis animalium gressilium, reptilium & uolatilium, non tantum in sua conuenientia loculamenta, institutam collocationem, sed alimentorum quoque, in hominum & ceterorum animalium gratiam, iusto ordine factam dispositionem. In hac tamen Marina, ac sub undis degentia, animalia fuerunt desiderata. Quamobrem frustra de Museo universali, quod omnia antea enumerata contineat, solliciti sumus, utpote quale, praeter mundum hunc uniuersum, nullibi datur. Sufficit tamen, si ex quocunque genere aliquid, quod

singu-

singulare, rarum atque curiosum, inter naturae artisque opera occurrit, in eo continetur. Imo collectio unius saltem atque alterius generis, Naturalium uel Artificialium, rerum, Musei nomen miceretur. Prostant propterea hodie Musea eiusmodi particula-
ria, Mineralium, Petrefactorum, & Lapi-
dum figuratorum, Conchiliorum aliorum-
que Marinorum, Antiquitatum & Numis-
matum, Exoticorum, Papilionum, Prae-
paratorum Anatomicorum, & quae sunt
alia longe plura, quae numerari uix possunt.
Singulares huiusmodi apparatus, bene in-
structi & ordinati, praestant multum furni-
gini immensae rerum diuersarum, undecun-
que conuafatarum, atque absque ordine
apto, inter se commistarum. Ordo enim
praeprimis est, quem in plerisque Museis
desiderant auctores, uariasque propterea
regulas, in exstruendis ac disponendis Mu-
seis, obseruandas suppeditant. Sed hac in re-

ORATIO

minime inter se conueniunt, quia hic pariter antiquum illud obtinet; quot capita, tot sensus. Evidem *D. Job. Daniel Maior* in uniuersalis cuiusdam inventarii rerum, in natura praecipue rariorum & notatu dignorum, accuratissime disponendarum & prudenter digerendarum, elaboratione suis occupatus. Promisit etiam *Job. Bap. Ferretius* in praefatione libri, cui titulus est: *Musee lapidariae antiquorum*, Specimen ad uaria Musea constituta, tam apud Principem, quam apud virum eruditum. Itemque *Georg. Hieronym. Velschius*, in literis ad D. Maiores, Pinacothecam uniuersalem est pollicitus. Sed an lucem haec uiderint, non constat. Valet tamen de his iudicium laudati *Mollerii*, in *dissert. de Technopphysiameis*: Sane in hunc usque diem, nullum reperire in orbe isto habitabili licuit *Technophysiotameum*, quod secundum eas delineationes, quas quorundam ingenia ele-

ganter

ganter non minus, quam prudenter produxere; penitus fuisse adornatum: Quo enim copiosus & curiosus generalia talium camerarum inuentaria, ideae, delineationes, adumbrationes ad cogitandum philomusis proponuntur, eo difficilior, impeditior & operosior est ad earum adornationem transitus. Missis igitur istis, de ordine ac dispositione Museorum, generatim propositis consiliis ac meditationibus, ad Musea ipsa me confero, quae hinc atque inde floruerunt, & adhuc dum florent. Latissimus mihi hic datur differendi campus, si omnia enarrare uellem, imprimis cum hodie non facile reperiantur aulae Regum, aut Principum, ut raceam priuatorum collectiones, in quibus tale quid desiderari posset. Insignes eorum catalogos consignarunt Valentinus in Museo Museorum & Neickelius in sua Museographia, cum praefatione & annotationibus D. Kanoldi edita. Praetereo antiqua, ueritate

ORATIO

tustate iam dudum obliterata, & nomine-
tenus saltem nota, e quorum numero est
T H E S A U R A R I V M Regum Sapientissimi
S A L O M O N I S, cuius haud leuia in S. Co-
dice occurrunt indicia, atque Regis **H I S-**
K I A E, cuius itidem in S. literis fit mentio,
nec non **P T O L O M A E I** **P H I L A D E L P H I**
Aegypti Regis, quale hunc Alexandriae ha-
buisse, e locis quibusdam Iosephi, Iudei-
orum historiographi, coniecturare uolunt.
Nec mihi nunc res erit cum Ingae seu Re-
gis Peruani, uel Montezumae, ultimi Re-
gis Mexicani, in America, uel Magni Mogo-
lis, Indostanorum Monarchae in Asia, diui-
tiis atque thesauris. Depropero potius,
ne Vobis, Auditores, longiori mea Ora-
tione molestus sim, breuem & succinctam
quorundam celebratorum, nostri ac recen-
tioris aei, Museorum recensionem. Interea
famae celebritate sunt conspicua, in **I T A L I A**
Kircherianum, quod in Collegio Romano
Socie-

Societatis Iesu & a G. de Sepibus publice
luci expositum Amstelodami anno 1678. at-
que denuo titulo: *Museum Kircherianum*
pridem inceptum, nuper restitutum, au-
etum, descriptum & iconibus illustratum, a
Philippo Bonanni, prodiit Romae 1709. Bon-
niae monstrantur Musea **VLYSSIS AL-**
DROVANDI, & MARCHIONIS DE
COSPI, quorum descriptio in lucem pro-
diit, quae titulum gerit *Ferdinandi Cospi*
Museo, annesso a quello del Vlyss. Aldro-
vandi descrizione di Lorenzo Legati,
in Bologna 1677. fol. Veronae reperi-
tur *Francisci Calceolarii museum a Bei-*
necto Ceruto inceptum, & ab Andrea
Ghiocco luculenter descriptum & perfel-
tum Veronae 1622. fol. In **GALLIA**
Lutetiae Parisiorum, teste Dn. Nemeitz in
AL. M. I

F

tracta-

ORATIO

tractatu *Sejour de Paris peregrinantium oculos in se conuertunt Musea Abbatis de Vallemont & Abbatis de Camps, Dn. Geoffroy, Dn. Vivant*, ac longe plura. In ANGLIA in celebritate uerstantur *Londini Museum Societatis Regiae*, in Collegio Greshamensi repositum, & per Nebemiam *Grew anglice descriptum Londini 1681.* nec non *D. VVooduuardi Profess. Phys. in Coll. Greshamensi ac R. S. postremum Secretarii, & Jacobi Petiver sub titulo Gazophylaceum Naturae & artis Decades X. Londin. 1709. editum* & quod primum nominandum *Illustr. Hans Sloane Potentissimi Magnae Britanniae Regis Proto-Medici & Regiae Societ. ac Colleg. Med. Praefidis eminentissimi. Oxonii monstratur Museum Ashmoleanum.* Apud BATAVOS primum

primum locum promeruit, Anatomicorum
sui temporis principis, F R I D E R I C I
R V Y S C H I I Mūseum, cuius permagnae
elegantissimae, nitidissimae incomparabilis &
fere regiae collectionis, praeparatorum ana-
tomicorum, variorum animalium, planta-
rum, aliarumque rerum naturalium, quas ma-
ximo labore, studio, sumptu, singulari arti-
ficio & industria praeparauit & conserua-
uit, dum uiueret vir summus & celeberrimus,
catalogus prodiit Amstelodami 1731
quo tempore inestimabilis hic thesaurus,
publice distractus est. Hoc non inferior
est thesaurus locupletissimus Alberti Seba,
Pharmacopoei Amstelodamensis Natur. Cu-
rios. Collegae ac Societatis Regiae Lon-
dinensis & Instituti Bononiensis Sodalis, nu-
per admodum defuncti, cuius accurata descri-
ptio iconibus artificiosissimis ornata prodiit

F 2

Amste-

Amstelodami duobus tomis 1734. & 1735.
quo opere pulchrius, iudice celeberr. *Boer-
hauio in praefat.* haud apparuit aliud eo in
genere, nullum utilius magisque durabile
in sera tempora. Commemoratione dignum
etiam est *Georg. Euerhard. Rumpfii Mu-
seum*, cuius descriptio tit. *Amboinsche Ra-
riteit Kamer* lingua Bataua prodit *Amste-
lodami* 1705. ac lingua Latina *Lugduni Ba-
täu.* 1711. Adduci quoque meretur *Le-
vini Vincentii theatrum*, ut uocat, *mira-
culorum naturae*, cuius descriptio ab ipsa
edita est lingua Gallica *Harlemi* 1719. *Lug-
duni Batauorum* Hortus Medicus superbi,
apparatu insigni exoticorum naturalium,
in museo Indico ibidem repositorum, ac
Theatrum Anatomicum praeparatis anato-
micis, aliisque curiosis, quorum catalo-
gum lingua Bataua edidit *Anonym.* 1690.

ubi

ubi etiam Suppellex anatomica *Job. Jacob.*
Rauii quam Academiae Leidenſi legauit,
in indicem redacta a clariss. *Albino* 1725.
Breuitatis studio, praetereo nunc Musea
Nicolai Cheualier, cuius catalogus gallice
prodiit *Amstelod.* 1731. & *Franc. Kiggelaar*
cuius catalogus lingua Batava editus est
Hagae Comitum 1723. & *della Faille*, qui ca-
talogum gallice conscriptum, itidem *Hagae*
Comitum edidit. In D A N I A floruit, at-
que magno Academiae Hafniensi orna-
mento fuit *Olaï Wormii* Museum, a
filio editum, cui titulus est: *Historia re-
rum rariorū, tam naturalium, quam arti-
ficialium, tam domesticarum, quam exotica-
rum Lugduni Batav. 1655.* nec non *Regi-
um ab Oligero Jacobaeo Hafn.* 1696. descri-
ptum, quae tamen cum Museo Academiae
Hafniensis, magnis sumptibus & labore

Wormiorum, Fuireniorum, Bartholinorum,
Paullinorum, Iacobaeorum, una cum tot
bibliothecis, in incendio fatali urbis Hafni-
ensis 1731. flamarum saeuitia interierunt, at-
que in busto iacent, quorum iacturam ir-
reparabilem deplorat clariss. *Frankenau* in
lugubri epistola ad *B. Schroeckium* scripta,
quae uideri potest in *Act. Physic. Med.*
Acad. Natur. Curios. Volum. II. Append. n. V.
In HELVETIA celebratissimum est ce-
leberrimi *Scheuchzeri* museum diluvia-
num Anno 1716. editum, in quo 1513. fos-
ilia figurata, plantarum & animantium, in
diluvio Noachico submersorum, simulacra
exhibitentia recenset, uid. *Acta Eruditor. A.*
MDCCXVII. Mens. Mart. p. 117. Nec
Patria nostra museorum defectu laborat,
ut potius quam plurima, ne commemo-
rem magnorum Principum in aulis suis ex-
structa

structa, Gazophylacia, a priuatis clarissimis uiris, magnis sumptibus congesti, rerum curiosissimarum atque rarissimarum apparatus, haetenus Germaniam illustrauerint. Testimonio esse possunt: *Iohan. Iac. Speneri* museum rerum artificiosarum, naturalium, antiquarum, recentium, exotiarum, domesticarum, latine & germanice consignatum a *I. M. Michaelis Lips.* 1693. ac *Cbristian. Maximil. Speneri* museum animalium, uegetabilium atque mineralium, ut & artefactorum, cuius catalogus prodiit *Berolini* 1718. Nec non *Basilii & Michaelis Ruperti Besleri* rariora musei proprii commentariolo illustrata a *Job. Henr. Locbnero Norimb.* 1716. itemque *Cbristoph. VVeickmanni* exoticophylacium *Vlmae* 1716. emissum. *Gottl. Frid. Mylii* museum s. catalogus

logus rerum naturalium & fossilium tam ex-
oticarum, quam domesticarum latine & ger-
manice *Lips. 1716.* descriptum. *Georg. Go-*
dof. Richteri *Gazophylacium mineralium*
Lips. 1719. descriptum, *Io. Christoph. Kund-*
manni *promptuarium rerum naturalium &*
artificialium VVratislauiae 1726. *Io. Ia-*
cob. Baieri colleg. Natur. Curios. Praesidis
celeberrimi, cuius *Sciagraphiam dedit in*
Actis Pbyisco-Medicis 1730. appendice n. IV.
Sed omnibus hactenus enumeratis palmam
facile praeripit Museum REGIS NOSTRI
POTENTISSIMI, ab **AVGVSTO II.**
gloriosissimae memoriae, immensis sumptu-
bus Dresdae institutum, in quo nihil eo-
rum, quae natura produxit admirabilia &
stupenda, quae ars effecit egregia & ex-
quisita, desiderari potest. Huius thesauri
incom-

thesauri incomparabilis exigua quondam fu-
it particula, M^VSEVM ANATOMICVM AV-
GUSTEV^M, quo REX INDVLGENTISSI-
MVS AVGVSTVS III. gratia atque
clementia singulari ductus, Academiam hanc
donare, est dignatus. At quantum hoc est
Cimelium, quod munificentia Regia posside-
mus, quale nulla Academia monstrare potest,
sola excepta Petropolitana, ubi asseruatur the-
saurus Anatomicus Ruyschianus prior, quem
PETRVS I. cognomine MAGNVS, RVS-
SORVM IMPERATOR, pretio triginta mil-
lium florenorum a beato Ruyfchio coemit.
Ex hoc, Auditores, uniuersi apparatus Regii
ampitudinem, & donatiui huius excellenti-
am facile intelligetis. Immortali propterea
memoria retinenda est munificentia REGIA,
qua thesauro hoc inaestimabili Academiam
decorare, dignatus est indulgentissimus PA-

G

TRIAE

TRIAE PATER. Huic tam splendido
Cimelio ut dignus pro mertio habeatur ho-
nos, indultu clementiae Superiorum, con-
sensu Patrum, **magnificum exstruetum est**
conclave, in propatulo situm, ut praetereun-
trium oculi in illud conuertantur, splendor-
que, qui huic Academiae ex eo oritur, au-
geatur. Omnes enim mecum uno ore con-
fitebuntur, singularem Academiam nostram
hoc ipso obtinuisse splendorem, sicut nemi-
nem uestrum in eo me habiturum dissentien-
tem, confido, quando dixero, Musea praecipu-
is Academiarum ornamentiſ esse adnumeran-
da. Ad Musea etiam referuntur Bibliothecae,
Horti Medici, atque alia, quae Musis inserui-
unt. Horum omnium nihil Academiae no-
straee deest. Adest Bibliotheca publica, libro-
rum atque manuscriptorum, in quounque
scibili rarissimorum, copia instructa; praeſto
est

est Hortus Medicus, exoticis plantis rarissimis cumulatissimus ; possident Professores huius Academiae, in omni eruditionis genere celeberrimi, Bibliothecas priuatas letissimas, Numophylacia, Musea physica atque Mathematica. Ipse ego in auditorio domestico, asseruo apparatum praeparatorum Anatomicorum, instrumentorum physicorum & opticorum, mineralium, lapidum figuratorum, & petrefactorum, conchiliorum, aliorumque marinorum, nec non exoticonrum, partim a B. Parente per semiseculum, partim a me per sex supra uiginti annos, singulari studio coaccesserum. Non is ego sum, qui de meis gloriosius sentio, iudicent de hoc apparatu alii, qui hunc contemplati sunt. His fruamini, Commititones suauissimi, haec in commodum uestrum conuertatis. De utilitate enim Museorum nihil habeo addere, ea enim, uti ex dictis satis elucescit, est amplissima, atque per omnes scientias artes-

que longe lateque diffunditur. Etenim in Museis, tanquam in compendio, quicquid in uastissimo suo complexu continet & coeret mundus uniuersus, intuemur, ut summum Numen in stupendis suis operibus cognoscatur, Nomenque Diuinum celebretur. Faciunt praeterea Musea ad scientiarum & artium omnium, Physicae paeprimis, Mathe- seos, Mechanicae, Historiae atque Antiquitatis studii incrementum & perfectionem. Sed utinam omnes, quod ego nunc mihi potissimum exoptem, qui Mineruae nomen suum dederunt, ac studiorum causa, in hac liberalium artium sede celeberrima commorantur, in Museis tempus consumerent. Talia, rerum diuersarum apparatu exornata, de quibus in praesenti sermo fuit, in ipsos non cadunt, sufficienti tamen librorum necessario- rum suppellectili illorum Musea instructa esse oportent. Vereor autem, ne multorum ha-
bita-

bitacula Bacchi potius cauponas, seu tabernas
uinarias, Martis tabernacula & athletarum
palaestras, quam Musea referant, in quibus
non tam libros, quam uasa potatoria, pocu-
laque heraclea, tormenta atque arma repe-
rire licet. Ne multa, reliqua enim nostis,
sunt qui equos & canes uenaticos alunt, bel-
luas in syluis sectantur, tempus recolendis
studiis destinatum, iocis, ludis, compotatio-
nibus fallunt. Erunt tamen, quomodo mi-
hi persuadeo, longe plures, quorum Musea
uera sunt Musarum tabernacula, qui studiis
se asserunt, totosque se tradunt. Hi etiam
fructus laborum suorum ferent aliquando
amplissimos. [Filum abrumpo, ne Vestra,
Auditores, diutius ac par est, abutar patien-
tia. Superest, ut preces ad DEVM funda-
mus, ac pia uota, pro uita & sanitate Clemen-
tissimi nostri NVTRITORIS, pro salute
&

& incolumitate Patriae, pro flore huius Academiae nuncupemus. DEVS T. O. M. Saluum Sospitemque praestet R E G E M nostrum AVG VSTISSIMVM, una cum Serenissima REGINA, PRINCIPE iuuentutis, atque tota PROSAPIA REGIA. Conseruet ac tueatur Numen benignissimum Saxoniam nostram. Seruet atque foveat omnipotens DEVS almam hanc Matrem, eamque reddat perpetuo florentissimam.

Dixi.

